



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

§. 58. Episcopatus Recinetinus supprimitur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66305)

Martii an. 1318 datis. Theodosiopolis, Sæcul XIV. A C 1321.  
 quæ est eadem atque Caffa, per plura se- Comanv. p. 223. tab v. 56.  
 cula habebat Archiepiscopum Græcum, Vad. 1321. n. 38.  
 ac etiamnum habet Episcopum Arme-  
 num. Anno 1321 Frater Hieronymus  
 Avenionem venit veluti exul a dice-  
 clesi sua ob vexationes sibi a Genuen-  
 sibus illatas.

§. LVIII.

*Episcopatus Recinetinus suppri-  
 mitur.*

Papæ absentia & controversia cum Im-  
 peratore Ludovico Bavaro magnas  
 creabant turbas in Italia; cujus civita-  
 tes non solum sibi mutuo adversabantur,  
 sed & intestinis flagrabant odiis: nihil  
 audiisses ibi præter velitationes, rapi-  
 nas, cædes, & omnia flagitiorum gene-  
 ra. Gibellini potiores obtinebant partes:  
 & Papæ autoritas contemptui erat,  
 seu res sacras spectasses seu profanas in  
 terris ei obnoxiiis. Amelius Bellomon- Ughell. to. 2. p. 808.  
 tio & facello Papæ præpositus, Marchiæ  
 Anconitanæ Gubernator Pontium Ar-  
 naldum cognatum suum suorumque mi-  
 litum Ducem miserat, ut quasdam sen-  
 tentias contra Recineti Prætozem, Cen-  
 turionem, Consilium, Senatumque ac  
 privatos quosdam exequeretur. Arnal-  
 dus

Sæcul. XIV.  
A. C. 1321

dus edici iussit, se nociturum nemini, sed tantum velle urbem pacatam, tranquillam, Papæque ac Ecclesiæ sub auctoritate Gubernatoris obsequentem reddere, atque cives Recinetinos omnes e provincia pulsos debere se isti certum intra tempus sistere. At Prætor, Administrum, ac populus armatis manibus factum in Arnaldum & comites ejus impetu, ipsum trecentosque alios trucidabant. Carceribus mandabant elapsos e clade, & quosdam civium Arnaldi partes secutos. Horum aliquos per urbem raptos injecta humo contegebant in locis publicis, ubi domos eorum diruerant. In furcam agebant alios: aliis ferro capita demetebant, postquam eos adstrinxerant, ut bona sua venderent, aut donarent. Enecabant vel puerulos: foeminas innuptas ligatasque, immo sacras Deo Virgines violabant.

His sceleribus compertis Papa primum vias juris iniens, monita & citationes adhibuit, ut fontes ad officium reduceret: dein, cum illas spernerent, declaravit eos incurrisse in poenas ipsis intentatas; inter alias in suppressionem Recinetini episcopatus, quem in vicinam ac fidelem Ecclesiæ Romanæ urbem Maceratam transtulit, eam eximens jurisdictione Præsulum Firmini & Camerinensis, quibus antehac subjecta erat.

rat. Diploma dabat 18 Nov. an. 1320. *Sæcul. XIV.*  
 Recinetum sæpe in Summam Sedem in- *A. C. 1321.*  
 surrexerat, jam ab Urbano IV episcopali  
 cathedra privatum. *Rayn. 1320.*  
*n. 18.*  
*Ughell. to. IV.*

Sequente anno 1321 Papa Joannes *p. 128.*  
 audiit, Recineti rebelles aliquos in tur- *Rayn. 1321.*  
 pitudines & impuritates omnis generis *n. 38.*  
 se projicere, superstitionibus usque ad  
 cultum falsorum Numinum se tradere, ac  
 in Ecclesiam Christumque ipsum impia  
 verba evomere. Citavit eos Inquisitor:  
 cumque haud comparuissent, contuma-  
 ces pronuncians anathemate devinctos  
 profano permisit foro: bona eorum Pa-  
 pæ fisco addixit. Sed deridebant sen-  
 tentiam: nec Recinetini tantum, verum  
 etiam Auximani, Spoletini, & Montis Fe-  
 retrani Comites protegebant receptos.  
 Tandem inemendabiles videns Papa sa-  
 crum in eos classicum cani voluit.

§. LIX.

*Inquisitores necantur.*

In Delphinatu hæretici occiderunt duos  
 Inquisitores ex Ordine S. Francisci,  
 nempe Fratres Catalanum Fabrium, ac  
 Petrum Pascalem. Privati quidam hæ-  
 reseos convicti, cum se redituros ad Ec-  
 clesiam catholicam promisissent, ab In-  
 M 5 quisi-

*Vad. 1321.*  
*n. 21.*